Obitum præmaturum

Filioli dilectissimi

MARTINI THEOPHILI,

Plurimum Rever. Clariss. nec non Doctissimi

DN. SAMUELIS Schönwaldts/

Ecclesiastæ Neopolitani bene meriti,

d. 23 Julii A. 1709. nati, at d. 10. Octobr,

ejusdem anni denati lugere & insimul

Parentem mœstissimum erigere voluit

PHILIPPUS JACOBUS Rachlitz/ P. G. C.

Nunc ubi perpulchris Aquilo deturbat honorem
Sylvis, atque virens depopulatur ager:
Nunc ubi, quæ quemvis dictarat fructibus, arbor
Deponit ventis frigoribusque comam,
Flavescit pariter tua frons, Doctissime Mysta
Cum rigido mortis frigore tactus obit
Infans qui nuper tibi venit lucis in auras,
Secula qui dignus multa virere fuit
Vix novus hospes erat mundi vitæque volantis
Contigerat tenero limina dura pede,
In tumulum rapitur funestum omnino repenté,
Illum quando Tibi mors inopina rapit.
Nondum qui potuit parvum gestare lapillum
Fert humeris jamjam grandia saxa suis
Frondi jam similis, quæ non dinturna vocatur,
Cum potuit verni temporis esse decus.
Nec vero mirum, quod fato fungitur Infans;
Cum subito proles sæpe tenella cadit
Nam manet hic, ad quem cuncti contendimus, æque (a)
Terminus atque ferit lex quoque mortis eam
Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet, (b)
Illius causa dicere quisque potest:
Sicubi fornace ex calida depromitur olla
Interdum, mox hæc fracta deinde jacet;
Sic homines cunctos, cum primum luce fruuntur,
Hoc in mundo, mox ultima fata manent. (c)
Quare pelle procul, Genitor, suspiria Cordis
Tristis, Te quamvis tristia fata premant.
Noli care, tuum, Genitor, deflere puellum
Vivit is in cœlis pectora læta gerens
Præcessit saltem. subiit dum cœlica tecta;
Hincce Deo lætus reddito depositum. (d)
Sicut enim frondens Sylvæ transponitur arbor
Interdum, vertat ne ferus Auster eam.
Sic etiam teneras Paradisi suscipit hortus
Frondes, quo possint rite quiete frui.
Harum quo pariter cingantur tempora serto
Et tum cœlesti prosperitate sient
Firmiter hinc cœli jam gaudia carpere credas
Filiolum charum, Vir Reverende, Tuum.

(a) *Huc facit illud Senec. Thebaid. v. 243. Infanti quoque decreta mors est.* (b) *Camerarius hoc ostendens depinxit serpentem, qui morsu suam prosequebatur caudam hoc cum lemmate Finis ab origine pendet e versu Manilii: deprompto Nascentes morimur, finisque ab origine pendet:* (c) *Eò spectat sententia Lipsii. Ad mortem maturi omnes nos sumus ex quo nati conf. Joh. S. A. p. I. pag. 1411.* (d) *juxta denominationem Chrysostomi: liberi sunt magnum & pretiosum depositum lumina & fulcra, subsidia & solatia conf. Joh. Schmidii Misc. Conc. p. 670.*

THORUNII, Impressit Johannes Lud. Nicolai.